

Dixi 1. *Desperatio positiva*; quia non sumitur hic desperatio privative pro omissione actus sperandi, quamvis & hæc omisio posset etiam esse peccatum, si præceptum sperandi urgeret; sed sumitur pro actu, seu recessu positivo, quo fugit beatitudinem, ut adeptu sibi difficiliorem. Dixi 2. *Plene deliberata*, ut excludatur desperationis motus indeliberati, vel non plene deliberati, orti sæpius, vel ex nimio timore, vel ex vacuitate cerebri, vel ex complexione melancholica, vel ex demonis temptatione. Ad quod debet advertere prudens Confessarius.

Dico 2. (*Ib. a. 2. o.*) Desperatio potest esse sine infidelitate; quia iudicium particulare practicum, quo quis sibi persuadet, quod Deus illi non parceret, quod ad beatitudinem non perducet, & ideo quod non sit sperandum, non destruit iudicium universale speculativum, quo iudicat consecutionem salutis esse possibilem, esse remissionem peccatorum in Ecclesia. Sicut iudicium practicum, quo quis iudicat hic, & nunc sibi fornicationem esse bonam, & eligendam, non destruit iudicium speculativum, quo iudicat omnem fornicationem esse illicitam, & fugiendam. Et ratio est; iudicium speculativum est de re secundum se, practicum autem de re faciendam, vel non faciendam, secundum affectum operantis: & sic ista duo iudicia sunt de diversis formaliter objectis, ideoque non sibi contradicunt. Ita contingit in omnibus peccatis, ut docuimus in Tract. de peccatis Dissert. 5. art. 8. Unde illud vulgatum: *Omnis peccans ignorans.*

Dices: Qui negat aliquam particularem veritatem contentam in universali, negat universalem; sic qui negat Petrum esse mortalem, negat omnem hominem esse mortalem: ergo, qui iudicat suam salutem esse impossibilem, iudicat omnem salutem non esse possibilem. R. 1. D. Maj. Qui negat iudicio speculativo aliquam particularem veritatem inclusam in universali, negat universalem; C. Iudicio practico, N. Quia, ut dictum est, iudicium speculativum est de re secundum se, practicum de re faciendam, vel non faciendam in ordine ad affectum operantis. Unde potest ex aliqua passione, aut mala dispositione istud iudicium decipi, aut corrumpi circa particulare, retentorecto iudicio de re in universali secundum se. R. 2. Transeat totum, nihil contra nos; non enim ut aliquis desperet, est necesse, quod iudicet consecutionem suæ salutis esse absolute impossibilem; sed sufficit, quod ex aliis motivis iudicet, quod eam non consequetur, puta, quia se credit a Deo derelictum, aut non esse prædestinatum, quia frequentius, & facilius labitur, quia media sunt ipsi molestiora, & difficiliora, quia se nimis intricatum reputat, &c. ex quibus motivis animum despondet, & iudicat non esse sibi sperandum.

Dico 3. (*Ib. a. 4.*) Desperatio specialiter oritur ex luxuria, & acedia, specialius tamen ex acedia. Quia homo luxuriosus deditur delectationibus carnalibus bona spiritalia fastidit, & ea non reputat magna, & ardua. Ex acedia autem reputat nimis difficile bene vivere: unde refugit labores bonorum operum. Ideoque luxuria tollit arduum beatitudinis, acedia derogat possibilitati; magis autem est proprium objecto spei, quod sit absolute possibile, quam quod sit arduum, quia bonum, & arduum etiam ad alias passiones pertinent.

Quidam hic operose, & morose disputant, utrum homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset revelatio suæ damnationis, posset adhuc, & deberet sperare? Dixi: *De potentia Dei extraordinaria*; quia omnes conveniunt cum S. Th. q. 23. de verit. a. 8. ad 2. id fieri non posse de potentia ordinaria, & docet ibid. S. Doct. quod *Si de potentia extraordinaria alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum Prophetie prædestinationis, vel præsentie, sed per modum Prophetie comminationis, que intelligitur superposita conditione meritum.* Cujus ergo utilitatis sit hæc questio, sicut alia, ut plurimum, quæ sunt de potentia Dei extraordinaria, non video. Quapropter, ne diutius Lectorem detineam in studio inutili, rem paucis expeditam. Unde breviter

Dico 4. Homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset suæ damnationis revelatio; quam revelationem non respiceret ut comminatoriam, sed ut absolutam prædictionem, posset quidem adhuc concupiscere, & desiderare inefficaciter beatitudinem, quia concupiscentia, & desiderium inefficax est de omni bono secundum se, abstrahendo ab hoc, quod sit futurum, vel non; sed non posset, nec deberet sperare. Prob. Voluntas non potest sperare nisi bonum, quod intellectus prudenter iudicat esse futurum; objectum enim spei est bonum futurum; atqui homo, posita revelatione suæ damnationis, non posset pru-

denter iudicare beatitudinem sibi esse futuram, etiam dato quod non vellet huic revelationi assentire, qui non posset prudenter dissentire, cum supponeretur, Deum clarè, & indubitanter revelare; sique beatitudo respectu ipsius desineret esse objectum spei: ergo.

Dices. Supposita revelatione damnationis, salus est adhuc possibilis; cum enim ista revelatio sit salutis extrinseca, nihil in ea mutat: ergo potest adhuc sperari. R. N. Conseq. Quia ad objectum spei non sufficit, quod sit possibile, sed requiritur, quod prudenter iudicetur futurum, & consequendum.

Inst. 1. Plus requiritur ad salutem adipiscendam, quam ad illam sperandam; atqui, posita dicta revelatione, homo potest adhuc consequi salutem: ergo a fortiori sperare. Resp. N. conseq. Quia Syllogismus constat quatuor terminis, & ideo nihil transitur ad possibilitatem illius in consequenda in majori transitur ad possibilitatem illius in minori; quæ, ut servaretur legitima forma, debuit sic exprimi; atqui posita dicta revelatione homo consequitur salutem; sed tunc fuisset falsa. Plus ergo revera requiritur ad consequendam de facto salutem, quam ad illam sperandam; sed non plus requiritur ad possibilitatem, quam ad spem illius; requiritur enim ad spem, quod possit iudicari prudenter futura; hoc autem non requiritur ad ejs possibilitatem.

Inst. 2. Si Deus alicui revelaret suum peccatum, puta violationem castitatis, posset adhuc non solum illud vitare, sed etiam sperare illud vitare: ergo similiter. R. N. Ant. pro 2. parte; quia in hac hypothesis, sicut in nostra, cum vitatio peccati non posset prudenter iudicari futura, non esset objectum spei; sicut nec salus, supposita revelatione damnationis.

Inst. 3. Iste homo posset adhuc, & deberet conari evitare peccatum: ergo posset sperare illud vitare. R. N. Conseq. Disparitas est, quod objectum hujus conatus, nempe fornicatio possibilis vitari, permaneat, & urgeat præceptum castitatis servandæ, quod violari non potest sine peccato; tenetur autem homo, qualibet suppositione facta, conari non peccare. At non manet hujus spei objectum, scilicet vitatio peccati futura: unde, quamvis præcipitur observatio castitatis, non tamen præcipitur spes illius. Uno verbo, præceptum castitatis servandæ est de presenti, spes illam servandæ est de futuro, quod non potest prudenter iudicari futurum supposita revelatione peccati futuri: sicut salus non potest iudicari futura, supposita revelatione damnationis.

Inst. 4. Non magis erat Reprobo futura salus ante revelationem damnationis, quam post; atqui tamen ante revelationem poterat sperare: ergo & post. R. D. Maj. Non magis erat futura salus absolute in se, & iudicabatur tamen prudenter futura ante revelationem damnationis. C. Et non iudicabatur prudenter futura, N. Voluntas autem sequitur iudicium intellectus. Unde, si intellectus iudicet prudenter salutem futuram, essi fortè secundum se non sit futura, voluntas potest illam sperare.

§. II. De Præsumptione.

Præsumptio apud Juristas accipitur pro actu intellectus, quo ex signis manifestis iudicatur aliquid occultum. Item accipitur pro actu voluntatis, quo quis facit, vel aggreditur facere, quod superat ejus facultatem sive physicam, & executivam, sive juris tantum; juris, ut cum quis sciens, & volens legem transgreditur, quomodo dicitur in Jure: *Si quis hoc præsumperit facere*: executivam, cum quis id, quod superat vires sive proprias, sive quas habet in aliis paratis, aggreditur, ut majora pericula, quam possit vincere, majores absentias, quam possit sustinere. Quantum verò ad subjectam materiam, & presens institutum, præsumptio definitur potest: *Temeraria expectatio beatitudinis, mediocrum ad illam.* (*Hic q. 21. a. 1. o.*) Est autem temeraria, seu inconsulta, & infundata ex duplici capite, scilicet innitendo nimium propriis viribus, & innitendo inordinate divinæ misericordie, & potentie.

Innitendo nimium propriis viribus; (*Ib.*) ut eum qui confidit consequi beatitudinem, aliudve bonum supernaturale propriis viribus, sine Dei auxilio, & misericordia, & dicitur nimia confidentia suarum virium. Hæc autem præsumptio opponitur magnanimitati, cuius est hujusmodi spem moderari juxta Regulam rationis, ut illam neque excedat, neque ab ea deficiat. Pro quo vide Tract. de Fortitudine Dissert. 2. a. 2. & 3. Posset tamen etiam dici, quod hæc præsumptio opponatur Spei Theologicæ, in quan-

quantum non expectat Beatitudinem eo modo, quo debet expectari. Innitendo (*Ib.*) inordinate Dei misericordie, & potentie, quatenus expectat a Deo Beatitudinem, vel aliud supernaturali eo modo, quo non est possibile illa obtineri secundum legem a Deo constitutam, & nobis notam; ut si quis sperat se veniam peccatorum a Deo consecuturum sine poenitentia, vel gloriam sine meritis, vel sine voluntate servandi mandata divina. Et dicitur nimia confidentia de Dei bonitate, & misericordia: nimia, inquam, non ex parte Dei, quasi quis posset nimium sperare a Deo; sed ex parte nostra, quatenus speramus id, quod non est possibile secundum legem a Deo statutam, ut dixi. His positis,

Dico 1. (*Ib. a. 2. o.*) Præsumptio est peccatum, tum quia se habet conformiter ad intellectum falsum, tum quia opponitur virtuti spei. Est peccatum mortale, quia opponitur virtuti Theologicæ, magnamque Deo injuriam irrogat, & magnum homini detrimentum. Est peccatum contra Spiritum S. quia auxilium divinum, a quo homo revocatur a peccato, contemnit, quasi non esset necessarium ad merendum, vel ad poenitentiam agendam. Est peccatum minus grave, quam desperatio, quia desperatio contemnit misericordiam, præsumptio justitiam, seu ultionem; Deo autem magis convenit misereri, quam ulcisci; quia est ex se misericors, justus, seu ulior ex peccatis nostris.

Dico 2. Præsumptio non semper tollit spem, nec semper est conjuncta cum infidelitate. Prob. 1. pars. Qui permanens in peccato, nec volens mutare vitam, sperat Deum fore sibi in fine propitium, præsumit; cum enim id rarissime contingat, & paucissima sint tantæ propitiationis exempla, merito dicitur præsumptuosus, qui sic sperat. Sicut in humanis dicitur præsumptuosus, qui se conjicit in periculum, a quo paucissimi evadunt; atqui tamen non amittit spem, quia non destruit rationem formalem objecti spei, sed tantum inordinate sperat. Qui verò speraret, seu præsumeret obtine-

re vitam æternam propriis viribus, vel sine auxilio Dei, amitteret spem, quia destrueret rationem formalem objecti spei. Prob. 2. pars. Quamvis contingere possit, quod quis ideo speret beatitudinem ex propriis viribus, aut sine meritis ex Dei gratia, quia credit beatitudinem sic esse acquiribilem, in quo casu est infidelis; potest tamen etiam contingere, quod quis speret, absque eo quod in intellectu habeat erroneas opiniones speculative tenet; sed tantum quod practice sic intendat salutem, ac si illam expectaret sine gratia: eo modo quo diximus de desperatione.

Petes, utrum peccare sub spe veniæ augeat peccatum, vel minuatur. (*Hic a. 2. ad 3.*) quod peccaret cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ non dimittit, sed augeat: peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato, & poenitendi, non est præsumptio, sed peccatum dimittit, quia per hoc homo videtur habere voluntatem minus firmatam in malo. Porro hoc ultimum dicitur S. Th. non esse intelligendum de his, qui proponunt abstinere a peccato in fine vitæ tantum: constat ex prima parte præcedentis conclusionis, in qua diximus, hos esse præsumptos.

Dico 3. (*Ib. a. 4. o.*) Præsumptio, quæ innititur proprie virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit, procedit ex inani gloria. Ex hoc enim, quod quis multum desiderat gloriam, sequitur, quod attentet ad gloriam quandam supra vires suas. Præsumptio verò, quæ innititur inordinate divinæ misericordie, & potentie, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis, & veniam sine poenitentia, oritur ex superbia, quasi ipse tanti se æstimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel a gloria excludat.

De præcepto spei eodem modo loquendum est proportionem servata; ac de præcepto fidei. Pro quo vide de Fide Dissert. 2. a. 4.

TRACTATUS DE CHARITATE,

D. Thom. a. Q. 23. ad Q. 46.

DISSERTATIO I DE CHARITATE SECUNDUM SE,

D. Thom. Q. 23.

Cum Charitas, amor, dilectio, & amicitia ad idem quoddam modo pertineant, & sint de bono, pauca de eorum notionibus, & de bono prælibanda sunt. Ratio formalis boni consistit (*1. p. q. 5. a. 1. & q. 21. de verit. a. 1.*) in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut convenienter, & coaptata appetitui, atque illius perfectiva per modum appetibilis, & finalitatis, ut latius explicavimus de Deo Diss. 3. a. 3. Deus est (*1. p. q. 6. a. 3.*) bonum per essentiam; quia unumquodque est bonum, secundum quod est perfectum, & in tantum est perfectum, in quantum est actu; esse autem soli Deo essentialiter convenit. Item (*Ib. a. 2.*) Deus est summum bonum, quia omnes omnium rerum perfectiones, & bonitates sunt ab ipso tanquam a causa æquivoce; effectus autem est excellentius in causa æquivoce, quam in se ipso, quia cause æquivoce producunt effectus sibi inferiores. Vide Diss. cit. a. 4.

Bonum itaque, appetitui propositum, (*1. a. q. 26. a. 1. & 3.*) ut ipsi conveniens, & coaptatum, quasi pondus ipsum movet, attrahit, & inclinatur ad se: & ista inclinatio, seu propositio appetitui in ipsum, dicitur *Amor*, seu complacentia. Si sit cum electione unius boni præ alio dicitur *Dilectio*, ut ipsum nomen sonat. Si sit boni, quod magni pretii æstimatur, dicitur *Charitas*, ut etiam ipsum nomen designat. Si tandem sit cum redamatione, dicitur *Amicitia*.

Amor itaque (*Ib. a. 2. & 4.*) magis late patet, quam dilectio, charitas, & amicitia. Alius est naturalis, quo unaqueque res, etiam non cognoscitiva, appetit bonum sibi conveniens, non ex apprehensione propria, sed ex apprehensione

eius, qui naturam constituit; sic grave dicitur amare centrum. Alius animalis, seu sensitivus, qui sequitur ad apprehensionem sensuum, & reperitur etiam in Brutis. Alius rationalis, qui oritur ex apprehensione intellectus. Et hic est duplex, concupiscentiæ, & benevolentie; motus enim amoris in duo tendit, in objectum, quod amatur, & est concupiscentiæ, & in personam, cui amatur, & est benevolentie: si quæ sit redamatio ex parte personæ amate, erit amor amicitie. Quod amatur amore benevolentie, simpliciter, & per se amatur; quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter, & secundum se amatur, sed amatur alteri. Unde amor benevolentie est amor simpliciter, & amor concupiscentiæ amor secundum quid. De his vide latius Auctorem loci citatis.

ARTICULUS I.

Quid sit Charitas?

Questio est de Charitate habituali: definiri solet *Virtus, divinam infusa, qua Deus propter se, & proximum propter Deum diligitur.* Quæritur in hoc articulo, an sit aliquid creatum in anima, & an sit virtus specialis? Magister Sententiarum dicebat, (*Hic q. 20. a. 2. o.*) quod charitas habitualis esset Spiritus S. mentem inhabitans, inmediate movens ad actum dilectionis, & non mediante habitu, ut fit in actibus aliarum virtutum: & hoc dicebat propter excellentiam charitatis: sed hæc opinio inolevit, & quibusdam videtur damnata, ut patebit ex sequentibus.

Dico 1. Charitas habitualis est quid creatum in anima. Prob. 1. (Ib.) Apost. Rom. 5. Charitas, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis; ubi distinguit aperte charitatem a Spiritu S. tanquam effectum a causa. Augustinus, cui innitebatur Magister sentent. l. de Nat. & Grat. c. ult. ait: Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas procreta, procreta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est. Iustitia autem est quid creatum in anima. Idem pluries alibi.

Prob. 2. Ex Concilio Trid. Sess. 6. c. 7. ubi definit, quod in justificatione per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque in ipsa inhaeret. Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipiuntur per Jesum Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem.

Prob. 3. (Ib.) Nullus actus perfecte producit ab aliqua potentia activa, nisi sit ei conaturalis per aliquam formam, quae sit principium actionis: unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines; singulis rebus indidit formas, per quas inclinantur ad fines sibi praestitutos a Deo; & secundum hoc disponit omnia suaviter, ut dicitur Sapient. 8.; atque manifestum est, quod actus charitatis excedit naturam potentiae volitivae: ergo aliqua forma superaddenda est naturali potentiae, per quam inclinatur ad charitatis actum: alias iste actus esset imperfectus actibus naturalibus, & actibus aliarum virtutum, nec esset facilis, & delectabilis: quod patet falsum; quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur.

Dices 1. Joann. 4. dicitur: Deus charitas est, & subditur: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; quod non potest intelligi nisi de charitate, qua Deum diligimus: ergo. R. prima verba intelligi de charitate increata, qua Deus non diligit, de qua immediate ante dixerat: Credimus Charitati, quam habet Deus in nobis: sequentia autem de charitate, qua ipsum diligimus, de qua verè dixit Evangelista, quod qui manet in ea, manet in Deo. Nam, si quis diligit me, inquit Christus Joann. 14. Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Deinde, cum charitas, qua Deum diligimus, sit effectus charitatis increatae, qua nos ipse diligit, non qualiscumque, sed quo efficiuntur ei similes, grati, & amici, ratione huiusmodi effectus, Deus vero sensu dicitur manere in nobis, & nos in ipso: sicut quis dicitur manere in sole, qui manet in lumine a sole diffuso, & sol manere in loco, in quo ejus lumen diffunditur.

Dices 2. Augustinus in pluribus locis docet, charitatem fraternam, qua diligimus proximum, esse charitatem incretam, & Deum: ergo. R. (Ib. ad 1.) Sensus August. esse, quod charitas, qua diligimus proximum, sit charitas increata, non formaliter, sed affectivè; quia charitas nostra a Deo est divinae charitatis participatio.

Instr. Juxta Aug. l. 15. de Trinit. c. 17. Deus vocatur charitas; non eo modo, quo Ps. 70. dicitur patientia nostra, sed quo modo dicitur Spiritus, atque tamen patientia nostra est etiam a Deo: ergo. R. etiam secundum nos Deum aliter dici charitatem, & aliter patientiam nostram. Est enim formaliter charitas, scilicet increata, per quam charitas, quae est illius participatio, diffunditur in cordibus nostris; sed non est formaliter patientia, cum patientia sit ejus, qui pati potest; Deus autem est impassibilis.

Dico 2. (Ib. a. 3. & 4. o.) Charitas est virtus specialis. Ratio 1. partis est; quia charitas est principium actus boni, nimirum attingentis regulam non solum naturalem, quae est recta ratio; sed supernaturalem, quae est Deus, cui nos unit. Item est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & nemo malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: haec autem est definitio virtutis. Ratio 2. partis est; quia habet objectum formale speciale; sicut enim objectum fidei est Deus ut verus, spei Deus ut nobis bonus, charitatis est Deus ut bonus in se, ut dicitur infra: virtutes autem distinguuntur ex objectis formalibus. Nec obstat, quod Auctor hic dicat, objectum charitatis esse bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum: non enim sensus horum verborum est, quod summum bonum sit objectum charitatis reduplicativè quatenus beatificat, seu sub ea formali ratione, qua nos beat, ut perperam quidam intellexerunt; tota enim hac quaestione docet S. Doctor objectum charitatis esse summum bonum, ut est in se: sed sensus est specificativus, scilicet quod summum bonum sit objectum charitatis secundum eam entitatem, bonitatem, & perfectionem, secundum quam est objectum beatitudinis, seu secundum quam videtur a beatis, ita ut bonitas, quae

videtur a beatis, diligatur a charitate: & quia videtur a beatis secundum quod in se est: Videbimus enim cum sicuti est. Joann. 1. & 3. Ita est objectum charitatis secundum quod in se est.

ARTICULUS II.

Utrum Charitas sit proprie dicta amicitia inter Deum & hominem.

Q Uaestio non est de relatione amicitiae, sed de actu exercente conditiones amicitiae; certum est enim, quod charitas sit habitus, vel actus, & non relatio.

Dico. (Ib. a. 1. o.) Charitas est vera, & proprie dicta amicitia inter Deum, & hominem, Prob. 1. (Ib. in a. s. c.) ex Scriptura, Christus Joann. 15. dicit Apostolis: Vos amici mei estis; &, jam non dicam vos servos, sed amicos meos. Jac. 2. Abraham amicus Dei appellatus est. Ps. 138. Nimis honorati sunt amici tui, Deus. Nihil autem assignari potest, quo homines sint Dei amici, nisi charitatem.

Prob. 2. (Ib.) Ad veram, & proprie dictam amicitiam tres conditiones communiter requiruntur. Prima quod amor sit benevolentiae, quo volumus alicui bonum propter ipsum; non concupiscentiae, quo volumus bonum propter nos; non concupiscentiae, quo volumus amare vinum, aut equum, aut aliquid huiusmodi, non est amor amicitiae, sed concupiscentiae; ridiculum enim esset dicere, quod quis habeat amicitiam ad vinum, aut equum. Vide plura de amore benevolentiae & concupiscentiae in Tract. de peccat. Dissert. 4. art. 7. Secunda conditio est, ut amor iste sit mutuus; non enim sufficit ad hoc, ut aliquis sit amicus alterius, quod illum prae se amet, sed etiam debet ab illo amari; amicus enim est amicus amicus, dicitur quasi amicus, ut talis amor mutuus sit quasi nexus inter duos. Tertia conditio est, quod iste mutuus amor fundetur in aliqua communicatione; qui enim in nullo communicant, nullam inter se habent conjunctionem. Unde ratione diversae communicationis diversae sunt amicitiae: sic in communicatione sanguinis funditur amicitia consanguinitatis, in communicatione superioris cum inferiori amicitia excellentiae, in communicatione sociorum amicitia aequalitatis; atque haec tres conditiones reperiuntur in amore charitatis: ergo.

Prob. Min. 1. Per charitatem homo diligit Deum propter se ut ultimum finem, & Deus diligit hominem propter se, non tanquam propter finem ultimum, seu propter ejus utilitatem, seu tanquam propter subjectum, cui vult eternam beatitudinem, & sic utrinque est amor benevolentiae. 2. Est amor mutuus; diligimus enim per charitatem eum, qui nos diligit, juxta illud Prov. 8. ego diligentes me diligo, & Joann. 15. Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum. 3. Est communicatio beatitudinis hic per gratiam in jure & in spe, in Patria in re: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ad rationem amicitiae requiritur, quod amicus propter seipsum diligatur, & non propter amantem, ut dictum est; atque Deus non amat homines propter ipsos, sed propter semetipsum: Universa enim propter semetipsum operatus est Dominus Prov. 16. ergo. R. solutione jam insinuat, D. Maj. De ratione amicitiae est, quod amicus diligatur propter seipsum, Ly propter dicente finem cui, C. Ly propter dicente finem cuius gratia, seu rationem motivam, N. Quando ergo dicitur, amicum diligi propter seipsum, & non propter amantem, sensus est, quod amatus sit subjectum, seu finis cui beneficiorum, ita ut amans non conferat illa ad suam, sed amici utilitatem: non est autem sensus, quod bonum, quod est in amico, sit finis cuius gratia, seu ratio, cur amans illum amet, & illi conferat beneficia; quin e contra tanto generosior & perfectior est amicitia, quanto amatus nihil in se amabile habens ex sola voluntate gratuita amici diligitur, & ejus beneficiis commutatur. Ita Deus diligit creaturas ex sola sua bonitate, iisque sua bona communicat, non propter suam utilitatem, bonorum enim nostrorum non indiget Dominus; sed ut illis bene sit in ipso tanquam in summo bono & suo ultimo fine.

Obj. 2. Non est amicitia, nisi inter aequales; unde Hieron. super c. 7. Michae dicit: Amicitia pariter aut accipit, aut facit: ubi inaequalitas est, amicitia non est; atque inter Deum & homines non est aequalitas, sed in-

nita distantia: ergo. R. D. Maj. Non datur amicitia, nisi inter aequales, aequalitate absoluta, N. Aequalitate proportionis, qualis est v. gr. inter patrem & filium, inter maritum & uxorem, C. Amicitia enim non tam attendit ad dignitatem personae, quam ad ejus amorem. Unde juxta Philosophum, ut dictum est, in communicatione superioris ad inferiores fundatur amicitia excellentiae; est autem aequalitas proportionis inter Deum & homines, quatenus hi per gratiam elevantur ad dignitatem filiorum Dei, & fiunt consortes divinae naturae.

Instr. Justi sunt servi Dei; atque inter servum & Dominum non potest esse perfecta amicitia: ergo. R. D. hanc Min. Inter servum qua servum & jure servitatis & Dominum non datur amicitia, C. sub alia ratione, N. Potes est servus per gratiam Domini elevari ad eam dignitatem, ut sit ejus filius adoptivus, vel amicus. 2. D. eadem Min. Inter servum servitute vili, ut in mancipio, & Dominum non datur amicitia, Transcat; Servitute honorata, ut in iis, qui serviunt Regi, N. Nulla autem servitus est honoraria, quam ea, qua servitur Regi Regum. Unde dicitur S. Antonius: servire Deo, repugnare est. 3. denique, D. Maj. Inter servum & Dominum non datur perfecta amicitia quoad homines inter se, Transcat: inter Deum & homines, N. disparitas est, quia quod magis Deus sibi subicit aliquem, eo majus bonum ipsi vult & confert; tota enim perfectio & beatitudo hominis est Deo subiecti, & illi ut ultimo fini uniti. Inter homines autem Domini, non servorum, sed suam propriam utilitatem quaerunt.

Obj. 3. Charitate diligimus, non solum amicos, sed etiam inimicos; atque non est redamatio ex parte inimicorum: ergo. R. D. Maj. (Ib. ad 2.) Charitate diligimus inimicos principaliter & ratione sui, N. Secundario & ratione Dei, C. Sufficit autem ad amicitiam redamatio ex parte illius, qui primario & ratione sui diligitur, licet non sit ex parte illorum, qui ratione alterius diliguntur. Sic, qui habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, & tanta potest esse dilectio, ut amet etiam pertinentes ad amicum, a quibus offenditur & odio habetur; & tamen permanet amicitia, quia est redamatio ex parte illius, qui principaliter & ratione sui amat.

Obj. 4. Plures sunt aliae leges amicitiae, quas non servat Charitas: ergo. Prob. Ant. 1. Amicitia requirit, ut amor mutuus innotescat; nescimus autem, an Deum diligamus, & a Deo diligamur; quia nemo scit, an odio, vel amore sit dignus. 2. Requirit amicitia, ut amici simul convivant; nos autem in via peregrinamur a Domino. 3. Amicitia non est inter multos sicut Charitas. 4. Amor amicitiae est amor benevolentiae quo volumus alicui bonum: Deo autem, qui nullo bono caret, nullum est bonum, quod possimus illi velle. Et inde 5. Nulla communicatio hominis ad Deum, maxime cum sumus servi inutiles: ergo. R. N. Ant. ad 1. Prob. D. Maj. Amicitia requirit, ut amor mutuus innotescat certo physice, N. alias nulla esset amicitia inter homines; certo moraliter, C. Talis autem certitudo habetur de mutuo amore charitatis inter Deum & homines ex indiciis & conjecturis, scilicet bona vita, observatione Mandatorum, bonis operibus, piis in Deum moribus, &c. Ad 2. Prob. (Ibid. ad 1.) Posset negari Maj. cum juxta Philosophum 8. Ethic. c. 5. possit inter absentes amicitia servari. Sed, ea ommissa, D. Min. Peregrinamur a Domino secundum vitam carnalem & quantum ad visionem beatificam, quam nondum adepti sumus ambulantes adhuc per fidem, C. Quantum ad vitam spirituales & conversationem mentis & cordis, N. Sic enim magnus est nobis cum Deo convictus, ut felicitate experiantur justis & devoti. Ad 3. Prob. D. Ant. Amicitia humana non est inter multos, C. Amicitia charitatis, N. Disparitas est, quod in humanis difficile sit unum placere multis, & multos uni, multorum consuetudine frui, & scire, utrum sint futuri amici idonei. Haec autem rationes cessant in Deo, qui nota sunt omnia, & qui multos aequè, ac unum potest diligere, & se fruendum multis, ac uni praebere. Cessant praeterea ex parte hominum; quia amicitiae charitatis unum est objectum, scilicet Deus, in quo & propter quem omnia diliguntur. Insuper Charitas patiens est, benigna est, non emulatur, non agit perperam, &c. 1. Cor. 13. Ad 4. Prob. N. Min. Quamvis enim Deus nullo bono careat, non obest, quin velimus illi bonum, gaudentes scilicet & gratulando de bonis ejus internis, & procurando externa, nempe laudem, honorem, nominis celebratam, cultum, &c. sequè illi subijcitur & se totum offerendo. Atque haec patet Theol. Billuart. Secunda Secundae.

tet responsio ad 5. Prob. Adde, quod, si per communicationem intelligatur collatio bonorum exteriorum, haec non requiritur ad amicitiam: possunt enim duo cives communicare amicabiliter in bono communi, duo justi in aliquo bono honesto, absque eo quod alter alteri conferat aliquid bonum extrinsecum, sed consilia dantur, secreta, & quid simile. Ad scripturam: non dixit Christus; nos esse servos inutiles, sed quod debeamus nos dicere servos inutiles, ad exercitium scilicet humilitatis. Alibi enim dicit: Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuis- ti fidelis, &c. Et 2. Tim. 2. Justus dicitur vas utile Domino, ejus usibus accommodatum. Insuper sumus ex nobis servi inutiles, utiles autem ex gratia Dei.

ARTICULUS III.

De Objecto Charitatis.

Q Uamvis Auctor agat de objecto charitatis infra q. 25. quia tamen tam dicta, quam dicenda vix intelligi possunt, nisi intellecto objecto charitatis, a quo ejus natura & species petitur, ideo quaestione de illo hic propono. Suppono tanquam certum, Deum esse rem amatam a charitate, seu ejus objectum materiale, principale & primum, & hac ratione objectum ejus formale quoddam. Per charitatem enim nihil aliud intelligimus, quam dilectionem Dei juxta illud: Diliges Dominum Deum tuum; hoc est primum & maximum mandatum. Matth. 22. Pariter certum est, quod proximus sit objectum charitatis materiale secundarium, quia charitas est, ut diximus, amicitia hominis cum Deo, lex autem amicitiae postulat, ut non tantum diligamus amicum, sed etiam omnes, qui ad illum specialiter pertinent, unde illud ibi. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Difficultas est in duobus. 1. Quodnam sit objectum formale quo, seu ratio formalis motiva charitatis? 2. Utrum sit eadem specie charitas, qua diligitur Deus & proximus? Pro quarum difficultatum resolutione sit

§. I. Quodnam sit objectum formale Charitatis?

Dico 1. (Hic q. 25. a. 5. o. & ad 2. & q. 25. a. 1. o.) Objectum formale quo, seu ratio formalis motiva charitatis est bonitas increata ut est in se & propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis. Prob. Charitas 1. est amor, amor autem non est de aliquo nisi sub ratione boni. 2. Est amor Dei: ergo est de Deo sub ratione boni divini. 3. Est amor non concupiscentiae, quae generat spem, sed benevolentiae: ergo sub ratione boni divini, non ut nobis commodi, sed ut est in se & propter se amabilis. Dixi: lumine supernaturali cognoscibilis, quia diligere Deum propter ejus bonitatem naturali lumine cognoscibilem, esset amor naturalis, non supernaturalis, qualis est charitas.

Dices: Amare Deum propter beneficia ab eo accepta, est actus charitatis; atque ibi ratio amandi non est bonitas increata, sed creata, scilicet beneficium, R. D. Maj. Amare Deum propter beneficia est actus charitatis, To propter dicente motivum amoris eliciti, N. To propter dicente medium, per quod devenimus ad cognitionem divinae bonitatis, C. Ex hoc enim quod Deus nobis conferat beneficia & nos amet, cognoscimus, quod sit infinite bonus & amabilis, & propter hanc infinitam bonitatem ipsum amamus. Unde iste amor elicitor a charitate, & imperatur a gratitudine propter acceptum beneficium: & ideo neganda est Minor & Cons. Insuper gratitudo, (2. 2. q. 106. a. 5.) si sit perfecta, non tam est propter beneficium, quam propter amorem benefactoris. Unde, cum Deus perfecte amat ex gratitudine, amat propter ejus amorem, adeoque propter divinam bonitatem, quia amor Dei est, summa bonitas & perfectio.

Dico 2. Objectum formale quo charitatis non est sola bonitas essentiae divinae, ut distincte virtualiter ab attributa, sed est bonitas divina ut involvit essentiam, attributa, & personas, seu bonitas divina transcendens omnem Dei perfectionem. Prob. 1. Objectum formale charitatis juxta D. Th. hic q. 23. a. 2. ut supra vidimus, est objectum beatitudinis, id est, bonum divinum ut cognoscibile visione beata; atque objectum beatitudinis, seu bonum divinum ut cognoscibile visione beata, est bonum divinum involvens attributa & personas; est enim Deus ut est in se, ut probavimus in Tract. de Deo Diss. 4. q. 10. ergo. 2. Omnia, quae sunt in Deo, sapientia, iustitia, fecunditas, &c. sunt, non secus ac natura, bona per se divina, increata, infinita, propter se amabilia, amabi-

litate ultimi finis: ergo objectum charitatis. Prob. Ant. Non sunt ambigua ambilitate medi, aut finis intermedi, cum id essentialiter involvat imperfectionem: est enim imperfectio & defectus, quod aliquid amatur propter aliud, & non possit se solo terminare & satiare appetitum: ergo.

Abt, inquit, nulla est imperfectio, quod attributa divina virtualiter dimanant a natura: ergo nec quod habeant rationem finis intermedi, virtualiter tantum ordinati ad ultimum finem. R. N. Cons. Disparitas est, quod in tantum dicitur attributum virtualiter dimanare a natura, in quantum natura est ratio illud probandi secundum modum nostrum concipiendi, quod nullam involvit imperfectionem. At medium, ut intermedium virtuale tale est, ut non habeat amabilitatem propter se, nec si tale bonum, quod ex se satiet appetitum, quod necessario involvit imperfectionem & defectum.

Obj. 1. Bonitas divina specificans charitatem debet esse una tam formaliter, quam virtualiter; cum ex ea proberetur unitas charitatis; atqui bonitas divina, omnibus attributis imbibita, est virtualiter multiplex, sicut ipsa attributa virtualiter distinguuntur: ergo. R. D. Min. Bonitas divina omnibus attributis imbibita est virtualiter multiplex in esse rei, C. In esse objecti, N. non est enim una ratio boni amabilis propter se, in qua conveniunt omnia attributa.

Obj. 2. Natura divina, ut virtualiter distincta ab attributis, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, tum quia natura divina in sua linea est bonum infinitum: tum quia, si Deus per impossibile careret attributis, esset sufficiens objectum charitatis: ergo non requiritur bonitas transcendens omnia attributa. R. D. Ant. Natura divina, ut virtualiter distincta ab attributis, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, ratione naturae qua talis, N. Ratione amabilitatis, omnibus attributis communis, C. Quapropter non sola movere, sed pariter movent attributa, quae eadem gaudent amabilitate: unde D. Conseq. ergo non requiritur bonitas transcendens omnia attributa ad movendum voluntatem, id est, non est absolute necessaria, Transat: id est, de facto non movet: N. Et ut vanitas argumenti clarior pateat, sic ipsum retorqueo: Omnipotens, ut virtualiter distincta a natura, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, quia est in sua linea bonum infinitum & amabile, etiamsi per impossibile a natura separaretur: ergo non requiritur bonitas naturae ad movendum. Vides infirmitatem argumenti. Perinde est, ac si argueres: lux solis potest movere potentiam visivam: ergo non potest movere lux facis: unus equus potest trahere navim: ergo non potest alter equus.

Obj. 3. Objectum charitatis est id, quod constituit Deum in ratione ultimi finis; atqui bonitas naturae, ut distincte ab attributis & personis, constituit Deum in ratione ultimi finis, cum omnia ratione illius ad Deum ordinentur, & ipsa naturae bonitas ad nihil aliud ordinetur. Item illud est objectum formale charitatis in ratione boni, quod est objectum formale beatitudinis in ratione veri; atqui sola veritas naturae divinae est objectum formale beatitudinis, attributa autem & relationes pertinent ad objectum secundarium beatitudinis: ergo. R. Ad 1. N. Min. & ejus probationem; repugnat enim bonitatem increatam & infinitam ordinari ad aliud, quia hoc involvit imperfectionem impraescribibilem, ut dictum est. Ad 2. N. pariter Min. Objectum enim beatitudinis est Deus sicuti est unus, trinus, bonus, omnipotens, sapiens, &c. alioquin visio gloriae non foret intuitiva, quidditativa, & beatificativa, ut ex professo probavimus in Tract. de Deo Dissert. 4. 2. 10. In his nobis praetulit Contentonson cum Cajetano contra Gonetum.

§. II. Utrum eadem specie Charitatis diligatur Deus & proximus?

Dico (Hic q. 23. a. 1. o.) Eadem specie charitatis diligatur Deus & proximus, Deus propter seipsum, proximus propter Deum. Prob. (Ib.) Idem est species actus, quo diligitur Deus propter se & proximus propter Deum: ergo idem specie habitus charitatis. Patet Cons. quia habitus specificatur ab actibus. Prob. Ant. Idem est species actus, qui fertur in rationem objecti, & qui fertur in objectum sub tali ratione; sicut eadem est species visio, qua videtur lumen, & qua videtur color: species enim actus sumitur ex objecto secundum rationem formalem ipsius; atqui ratio formalis diligendi proximum Deus est; hoc

enim debemus in proximo diligere ut in Deo sit, ut illi tanquam sui ultimo hereat, indeque Deus ametur, laudetur & glorificetur propter infinitam ejus bonitatem & perfectionem; sicque patet, quod ratio formalis diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se & propter se amabilis: ergo. Hinc colliges, quod amare proximum ex alio motivo, puta, propter beneficia accepta, propter egregias ejus qualitates sive naturales, sive supernaturales, quatenus ipsius perfectiones, non sit amor charitatis, quia sic non amatur formaliter ratione bonitatis divinae, sed est amor naturalis. Nec refert, quod forte sint qualitates supernaturales; supernaturalitas enim ibi se habet materialiter, si ratio amandi non sit supernaturalis; sic v. gr. Peccator impenitens, qui per lumen fidei cognoscit Paradisum, illum amat amore naturali. Dixi: Quatenus sunt ejus perfectiones: quia, si considerentur ut participationes divinae perfectionis, videtur, quod etiam sic amatur amore charitatis; quia, licet in infinitum distent ab infinita Dei perfectione, tamen non tam ipse, quam ipsa Dei perfectio in illis amatur, sicut in imagine amatur prototypus, qui est tota ratio amandi imaginem.

Obj. 1. Virtus Latriae, qua exhibetur honor Deo, specie differt a virtute Dulciae, qua honor deferretur Sanctis; atqui tamen Sancti non honorantur, nisi propter Deum: ergo, licet proximus ametur propter Deum, alia est specie charitas, qua Deum, alia, qua proximum diligimus.

R. D. Min. (Ibid. ad 7.) Sancti non honorantur nisi propter Deum, To propter dicente finem extrinsecum, C. To propter dicente rationem motivam intrinsecam & formalem honoris, N. Ratio enim formalis honorandi Sanctum est propria ejus excellentia, licet iste honor ex imperio charitatis referatur ad Deum tanquam ad finem extrinsecum, sicut actus aliarum virtutum, ut temperantiae, justitiae, eleemosynae, &c. At ratio formalis diligendi proximum est ipsa Dei bonitas infinita in se & propter se amabilis, ut explicatum est. Rationem hujus disparitatis alias repetit Auctor ex ipsa natura amoris & honoris: quia nempt amor respicit bonum in communi, id est, bonum abstractum a proprio & alieno, ab intrinseco & extrinseco; sicut enim amamus sanitatem propter propriam & intrinsecam ejus bonitatem, sic etiam amamus medicinam amaram propter extrinsecam sanitatis bonitatem. Sed honor respicit bonum proprium & intrinsecum honorati; deferretur enim alicui in testimonium propriae virtutis. Idem amor non diversificatur specie propter diversas bonitates diversorum, si in eis attendatur una bonitas communis, propter quam amantur; sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde, cum in amore Dei & proximi attendatur una bonitas, una ratio diligendi, scilicet increata Dei bonitas, est utriusque idem species amor; sed cum in honore, quem deferimus Deo & Sanctis, sit diversa specie virtus & excellentia, sunt diversi specie honores.

Inst. 1. Sicut dum amatur proximus, Deus amatur in proximo, sic dum honoratur Sancti, Deus honoratur in Sanctis: ergo nulla disparitas. R. N. Ant. Deus enim in amore proximi amatur ut ratio formalis diligendi proximum. At, dum honoratur Sanctus, non excellentia divina, sed propria Sancti excellentia est ratio ipsum honorandi; & in tantum Deus dicitur in illo honorari, in quantum est causa & finis ejus excellentiae.

Inst. 2. Quando Minister, aut Praelatus malus honoratur, non honoratur propter propriam excellentiam, sed propter Deum, cuius est Minister; atqui tamen iste honor est a divino distinctus: ergo similiter in amore Dei & proximi. R. N. Min. Minister enim, seu Praelatus malus habet auctoritatem a Deo, sive a Republica sibi concessam, & haec auctoritas est quaedam in eo excellentia moralis, propter quam honoratur.

Obj. 2. Sicut diligimus proximum propter Deum, sic cognoscimus conclusiones propter principia; atqui cognitio principiorum & cognitio conclusionum sunt ex diverso habitu, scilicet intelligentiae & scientiae: ergo similiter. R. N. Maj. Principia enim, nude & secundum se spectata non sunt ratio formalis cognoscendi conclusionem, sed ut facta conclusionis, & illius illativa. Unde, qui cognoscit principia secundum se, non ideo cognoscit conclusionem, sed ultra requiritur ad hoc studium & labor; & ideo alia est species cognitio principiorum, alia cognitio conclusionum: verum Deus in se spectatus est ratio formalis diligendi proximum. Unde, qui amat Deum, amat proximum; vult enim Deo omne bonum, consequenter quod ab omnibus ametur, colatur, laudetur & glorificetur, quod est simul amare proximum, & velle illi summum bonum.

Obj.

Obj. 3. Amor Dei est intentio, amor proximi est electio; atqui intentio & electio specie distinguuntur: ergo. R. D. Min. Intentio & electio in ratione intentionis & electionis praecise specie distinguuntur, C. In ratione amoris, N. Sub eadem enim ratione formalis feruntur in Deum & proximum. Unde prior diversitas speciei se habet materialiter ad rationem amoris.

Obj. 4. Quod diligimus ex charitate, illud diligimus super omnia; atqui non diligimus proximum super omnia: ergo. R. D. Maj. quod diligimus ex charitate ratione sui ipsius, illud diligimus super omnia, C. Quod diligimus ex charitate ratione alterius, diligimus super omnia, N. Implicat enim, quod diligam aliquid ratione alterius & propter alterum, & illud diligam super omnia.

Obj. 5. Sunt distincta praeccepta amoris Dei & proximi: ergo sunt distinctae virtutes. R. N. Conseq. Quia praeccepta dantur de actibus virtutum, non de habitibus: & cum amor Dei & proximi ferantur in objectum sub eadem ratione formali, sicque non specie, sed solo numero distinguuntur, pertinent ad eundem habitum. Nec repugnat, quod de actibus materialiter tantum diversis dantur distincta praeccepta, praesertim si sint subordinata, ut sunt praeccepta amoris Dei & proximi.

Quinam comprehendantur sub nomine proximi, dicam infra.

Consecrarium.

Hinc colliges (Hic q. 23. a. 5. o.) charitatem esse unam virtutem specie aethera: quia, si ex aliquo capite divideretur in plures species, maxime ex eo quod versetur circa Deum & proximum; atqui ex eo capite non diversificatur, ut probatum est: ergo. Insuper (Ib.) charitas est amicitia hominis apud Deum. Diversae autem amicitiarum species accipiuntur, vel secundum diversitatem finis, & sic sunt tres species amicitiae, scilicet utilis, delectabilis, & honestae; vel secundum diversitatem communicationum, in quibus amicitiae fundantur, sicut alia est species amicitiae consanguineorum, alia concivium, aut peregrinantium, quarum una fundatur super communicatione naturalem, alia super communicatione civili, vel peregrinationis; atqui neutro modo charitas potest dividi in plures species, nam charitatis unus est finis, nempe divina bonitas, est etiam una communicatio beatitudinis aeternae, super quam haec charitatis amicitiae fundantur: ergo.

Dices 1. Actus charitatis sunt specie diversi: ergo diversi specie charitatis habitus. Patet Cons. Habitibus specificantur ab actibus. Prob. Ant. Dilectio Dei & odium peccati, item gaudium & desiderium de Deo sunt actus charitatis; atqui sunt specie diversi: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Min. Hi actus sunt specie diversi materialiter & comparative inter se, C. Formaliter, & ut a charitate procedunt, N. Cum enim procedant sub eodem formali motivo, ex illa parte sunt ejusdem speciei. Paritas est in aliis virtutibus, v. gr. adorare & vocare sunt actus Religionis, & respective inter se specie distincti; quatenus tamen ab habitu Religionis procedunt sub eodem motivo, sunt ejusdem speciei, & ab eadem specie virtute eliciuntur.

Inferes: ergo plura accidentia solo numero distincta possunt esse in eodem subjecto, quod est contra Doctrinam D. Th. & Thomistarum. R. Doctrinam D. Thomae & Thomistarum intelligendam esse de accidentibus in solo numero distinctis, ut neque specie incompleta, neque ex parte materiae, vel diversae modificationis distinguantur, sicut distinguuntur actus, de quibus Instans.

Dices 2. Charitas via & charitas Patrie specie differunt: ergo. Prob. Ant. 1. quia charitas via regulatur per fidem, seu cognitionem obscuram, charitas Patrie per lumen gloriae, seu claram visionem; atqui diversitas Regulae arguit in regulatis diversitatem specificam: ergo. 2. Amor viae est liber, amor Patrie est necessarius; libertas autem & necessitas inducunt in actibus species diversas: ergo. R. N. Ant. ad 1. Prob. D. Min. Diversitas formalis Regulae arguit in regulatis diversitatem specificam, C. Diversitas materialis Regulae, N. Licet autem fides & lumen gloriae inter se specie differant; non tamen specie differunt in ratione Regulae, seu in regulando actum amoris; quia amor abstrahit ab objecto viso & non viso, habito & non habito; & applicant voluntati objectum, sub eodem formali motivo, scilicet bonitatis increatae. Insuper potest negari Major; non enim fides, aut lumen glo-

riae regulant charitatem, quippe quae non eget regulatione, cum non consistat in medio; sed simpliciter proponunt objectum charitati; propositio autem objecti non est ratio formalis objecti voluti, sed conditio tantum. Ad 2. Prob. R. Libertatem & necessitatem non constituere diversas species essentielles in actibus voluntatis, sed accidentales, seu modales, quatenus sunt illorum modi intrinseci. Et esto, amorem viae & amorem patriae ex parte libertatis & necessitatis essentialiter distingui inter se, attamen quatenus procedunt ab habitu charitatis sub eadem ratione formali, scilicet bonitatis divinae non differunt specie, & sic possunt ab eodem specie habitu procedere, ut prius dictum est.

ARTICULUS IV.

Quomodo Charitas se habeat ad alias virtutes?

Dico 1. (Hic q. 23. a. 6. o.) Charitas est excellentior aliis virtutibus, non solum in esse moris, sed etiam probabilis in esse physico. Prima pars est contra Lutheranos, qui, cum dicant nos justificari per fidem, volunt eam aliis virtutibus in esse moris praecellere. Prob. 1. (Ibid. in a. 2. c.) ex Scriptura 1. Cor. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec; major autem horum est charitas. Coloss. 3. Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis; & alibi plura similia, quae saltem intelligi debent de charitate in esse moris: ergo.

Prob. 2. (Ib. 9.) Cum bonum in actibus humanis, seu moralibus attendatur, secundum quod regulatur regula debita, perfectio virtutis, quae est principium honorum actuum, consistit in attingendo humanorum actuum Regulam, quae est duplex, scilicet recta ratio humana & Deus, Deus tamen prima Regula, a qua etiam humana ratio regulanda est: ergo illa virtus est perfectior, quae perfectius attingit regulam humanorum actuum. Subiungo: atqui virtutes Theologicae, quarum objectum est Deus, attingunt regulam primam, virtutes morales attingunt tantum rationem humanam. Inter autem virtutes Theologicas, charitas perfectius attingit regulam primam, seu Deum, quam fides & spes: ergo charitas est excellentior in genere moris, non solum virtutibus moralibus, sed etiam fide & spe. Prob. 4. Pars Min. prima enim patet. Semper id, quod est per se, est majus eo, quod est per aliud; atqui fides & spes attingunt Deum, secundum quod ex ipso nobis provenit vel cognitio veri, vel adeptio boni, & charitas attingit Deum ut in ipso astat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat: ergo charitas perfectius attingit primam regulam, quam fides & spes. Ex eo autem quod charitas finem supremo modo attingat, habet quod moveat, & imperet aliis virtutibus, quod sit radix meriti, & inseparabiliter conjuncta justificationi, in quibus consistit ejus excellentia moralis. Confirm. 1. Fides & spes compatiuntur peccatum, non charitas. 2. Spes & fides involvunt imperfectionem, spes proprium commodum, fides obscuritatem; nihil horum charitas ex se.

Prob. 2. pars (Ibid. ad 1.), in qua agitur tantum de fide; & quae controvertitur etiam inter Thomistas. Quamvis cognitio eorum, quae sunt infra nos, sit physice nobilior, quam dilectio, attamen dilectio eorum, quae sunt supra nos, est nobilior, quam cognitio; atqui charitas est dilectio eorum, quae sunt supra nos, scilicet Dei: ergo. Prob. Maj. ex discrimine, quod est inter operationem intellectus & voluntatis. Operatio intellectus compleitur secundum quod intellectum est intelligente, & ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur secundum mensuram intellectus. Operatio autem voluntatis & conjungit virtutis appetitivae perficitur in inclinatione appetentis ad rem, sicut ad terminum; ideoque dignitas operationis appetitivae attenditur secundum rem, quae est objectum operationis: atqui ea, quae sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima, quam in se ipsis; quia unumquodque est in aliquo per modum ejus in quo est. Quae vero sunt supra animam, nobiliori modo sunt in seipsis, quam sunt in anima: ergo eorum, quae sunt infra nos, nobilior est cognitio, quam dilectio; propter quod Philosophus 7. Ethic. praetulit virtutes intellectuales moralibus; sed eorum, quae sunt supra nos, & praecipue Dei, cognitioni praefertur dilectio.

Dices contra 1. partem: 1. Fides per dilectionem operatur Galat. 5. ergo fides est nobilior in genere moris, sicut Dominus est nobilior servo, vel instrumento per quod operatur. 2. Justificatio fidei tribuitur Rom 1. & 5.: ergo. R. ad 1. (Ibid. ad 2.) 1. Quod fides non operatur

tur per dilectionem sicut per instrumentum; ut Dominus per servum, sed sicut per formam propriam. 2. Multi volunt, quod operatur hic sumi passivè, & eo significari, quod fides in actu constituitur & excitetur ad agendum per dilectionem. Neque hæc interpretatio contraria est priori; quia fides sic excitata agit verè, & operatur per charitatem veluti per formam. Ad 2. Justificatio tribuitur fidei, non quod sine charitate justificet; sed quia est initium salutis, & radix justificationis, secundum Trid. sess. 6. cap. 7.

Dices contra 2. partem. Genus intellectivum est nobilius genere appetitivo, juxta D. Thomam & Thomistas: ergo habitus, pertinens ad genus intellectivum, qualis est fides, est nobilior habitu pertinente ad genus appetitivum, ut est charitas. R. D. Ant. Genus intellectivum est nobilior appetitivo absolute, C. Ant. Omnibus modis, N. Ant. & cons. Sunt ergo quedam genera omnibus modis perfectiora, ita ut ab imperfectionibus nunquam superari possint, ut substantia spiritualis, v. gr. respectu substantiæ corporeæ. Sunt autem & alia genera absolute quidem perfectiora, sed non omnibus modis, ita ut quandoque contingat, quod ratione differentie nobilioris contrahentis genus imperfectius compensatur ejus imperfectio, & illius species superet speciem generis perfectioris: sic qualitas activa, v. gr. calor, est genus perfectius, quam passiva. Atamen datur qualitas pas-

siva, v. gr. potentia cognoscitiva, quatenus recipit species, quæ ratione differentie superat genus activum. Item corpus incorruptibile, ut cælum, est genericè, seu ratione corporeitatis perfectius corruptibili; & tamen corruptibile animatum ratione differentie præstantius est incorruptibili. Sic ergo quamvis species intellectivum sit absolute perfectius volitivo, non tamen omnibus modis, sed potest volitivum ratione differentie, seu tendentis perfectioris ad objectum contrahi ad speciem nobiliorum.

Dico 2. *(Ibid. a. 7. o.)* Sine charitate potest esse vera virtus, sed imperfecta: quia sine charitate potest esse bona qualitas, quæ sit constantè principium boni actus, consequenter vera virtus. Sed quia sine charitate non ordinat ad ultimum finem, neque facit operari meritorie ad vitam æternam, non est perfecta virtus. Vide Tract. de Virtutibus Dissert. 2. art. 4. §. 3. ubi hanc materiam ex professò tractavimus.

Dico 3. *(Ibid. art. 8. o.)* Charitas est forma aliarum virtutum, non intrinseca & essentialis, alias omnes virtutes essent ejusdem speciei; sed extrinseca & accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem ultimum supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali. Charitatem distingui a gratia, multis probavimus in Tract. de Gratia Diss. 4. a. 4. adeat Lector.

DISSERTATIO II.

DE AUGMENTO, DIMINUTIONE, ET AMISSIONE CHARITATIS.

Div. Thom. Quæst. 24.

HUIC Q. 24. Auctor præfixit titulum de subjecto charitatis, ratione cujus agit de causa efficiente, augmento, diminutione, & amissione charitatis. Suppono 1. *(Hic q. 24. a. 1. o.)* Voluntatem esse subjectum charitatis, tum quia idem est objectum voluntatis & charitatis, scilicet bonum per intellectum apprehensum; tum quia actus charitatis, qui est amor, elicitur a voluntate: virtus autem est in ea potentia, in qua est ejus actus. Suppono 2. *(Ibid. a. 2. o.)* Habitum charitatis non acquiri nostris actibus, sed a Deo infundi, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. S. qui datus est nobis.* Ratio est; quia charitas est quedam amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in communicatione beatitudinis; hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita: ergo charitas naturæ facultatem excedit. Adde, quod ejus objectum sit bonum supernaturale, & quod sit proprietas consequens ad gratiæ infusionem.

Si dicas: Ex actibus charitatis infuse generari aliquem habitum dilectionis, ut docet Auctor q. 17. de verit. a. 1. ad 4. R. Hunc habitum non esse charitatem, quia sumus Dei amici & filii adoptivi, sed habitum diversæ speciei ex actibus hujus charitatis infusæ ortum, ideoque acquisitum, neque tamen naturalem absolute, hoc sensu scilicet quod per naturam causetur, sed aliquo modo supernaturalem, nempe ex actibus supernaturalibus ortum. Unde, cum S. Th. 1. 2. q. 51. a. 4. ad 3. dicit, ex actibus habitus infusus non produci aliquem habitum, intelligit de habitu ejusdem speciei, prout argumentum requirebat. Itã interpretatur Sylvius. His prælibatis de subjecto & causa efficiente charitatis, quærimus in primis & specialius de ejus augmento. Unde sit

ARTICULUS I.

Utrum Charitas possit augeri, & quomodo?

Dico 1. Charitas viæ potest augeri sine termino. *(Ibid. a. 4. o. & 7. o.)* Est definita in Concilio Vienne Clementina: *Ad nostram de hæreticis contra Begardos & Beguinas: qui dicebant, hominem in vita posse quandam charitatis terminum attingere, ultra quem progressum non posset. Et in Conc. Trident. sess. 6. c. 10. Hoc, inquit, fidei incrementum petit Ecclesia, cum orat: da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Prob. ulterius 1. ex Scriptura Eph. 4. *In charitate crescemus.* Philipp. 1. *Oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Apocal. ultimo, *Qui justus est, justificetur adhuc.* Prov. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad per-*

fectum diem, scilicet diem beatitudinis. Suffragantur SS. Patres. Aug. Tract. 5. in Epist. Joann. *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Hieron. 1. 2. contra Jovin. c. 18. Athanasius in vita S. Antonii, S. Leo serm. 2. de Quadrag. S. Gregorius Hom. 15. in Ezech. &c.

Prob. 2. Rat. *(Ib. a. 4. o.)* Ex hoc dicimus Viatores, quod in terminum destinatum, qui est Deus, tendimus; atque de ratione Viatorum est, quod ita tendere possint ad terminum, ut magis ac magis ad illum appropinquent, alioquin cessaret viæ processus: ergo ita possunt tendere in Deum, ut magis ad illum appropinquemus. Subsumo; atque istam appropinquationem facit charitas: non enim appropinquamus Deo passibus corporis, sed affectibus mentis, quibus illi unimur: ergo charitas in hac viæ potest semper augeri. Confirm. *(Ib. a. 7. o.)* Ex nulla parte præfigitur terminus augmento charitatis. Non ex parte ipsius charitatis, quia est secundum rationem suæ speciei participatio quædam infinite charitatis, quæ est Sp. S. Non ex parte causæ efficientis, quæ est Deus infinite virtutis. Non ex parte subjecti; quia crescente charitate subjectum fit magis habile ad illam perfectionem recipiendam; cum enim ista habilitas sit obedientialis; crescente charitate crescit: ergo. Si dicas, indè sequi, hominem Viatorem tantam charitatis perfectionem posse acquirere, ut æquet, aut superet charitatem Christi & Beatæ Virginis. Resp. Neg. Sequelam; quia, licet charitas secundum se possit semper augeri, non augetur tamen, nisi secundum gradum a Deo prædestinatum. Nemo autem est prædestinatus ad eum charitatis gradum, qui Christo & B. Virgini fuit collatus.

Dico 2. *(Ibid. a. 5. o.)* Charitas non augetur extensive, sed intensive tantum: quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa, quæ sunt ex charitate diligenda. Cum enim sit amor efficacis ultimi finis, scilicet Dei, habet secundum se sufficientem virtutem ad amandum cætera propèter Deum. Quod si actu non extendatur ad consilia & ad bona supererogationis, non est ex defectu ipsius charitatis habitualis, sed voluntatis; quia habitus unum, cum volumus.

Dico 3. *(Ibid.)* Charitas non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem; hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri; sed per majorem radicalionem in subjecto, sive per majorem actionem subjecti, sive per majorem inhesionem subjecto; accidentis enim esse est inherere. Hæc omnia sunt unum & idem, & modo unum, modo alterum usurpat S. Thomas, dum agit de intensione qualitatium. Item, sive istud Majus dicas novum gradum, sive novum modum, est perinde ad propositum, est enim ista quæstio de intensione qualita-

tum Philosophica; & idè eam ad Physicos remittimus.

Petes 1. Utrum charitas viæ possit augeri, ut adæquet, aut etiam superet charitatem Patris? Suppono antè responsum, charitatem viæ & Patris esse, ut supra diximus, ejusdem speciei essentialis; quia habent idem objectum formale, differre autem accidentaliter secundum statum & modum operandi. R. 1. Charitas viæ in eodem homine non potest æquare, aut superare ejus charitatem in Patria; quia Deus præmiat ultra condignum, & cum dilectio Dei pertineat ad objectum saltè secundarium præmi, seu beatitudinis; homo, dum fit beatus, accipit aliquid charitatis incrementum. R. 2. Videtur, quod charitas habitualis alicujus Viatoris possit esse perfectior & intensior charitate alicujus beati; verisimile enim est, quod charitas B. Virginis, aut eximii alicujus Sancti, dum esset in viâ, fuerit major, quam charitas habitualis in Patria unius infantis, statim post Baptismum defuncti. R. 3. Attamen quoad statum & modum operandi charitas Patris est perfectior qualibet charitate viæ: tum quia charitas Patris est in termino & in statu suo naturali; charitas autem viæ est adhuc in motu & extrita statum: tum quia beatus in Deum clarè visum semper amore fertur secundum totum conatum voluntatis, & totam intensionem habitus charitatis, non sic in viâ; atque hoc sensu Christus Math. 11. de Joanne Baptista dixit: *Qui minor est in Regno Cælorum, major est illo.* Quamvis tamen intelligant hanc sententiam de ipso Christo & Ecclesia, ita ut sensus sit: quod Christus, qui secundum ætatem & multorum opinionem erat in Ecclesia minor Joanne Baptista, esset tamen major divinitate, majestate, & potestate: Itã interpretatur SS. Hilarius & Chrysost. in hunc locum, S. August. Tract. 13. in Joann. &c.

Petes 2. Utrum charitas in hac viâ possit esse perfecta? R. *(Ibid. art. 8. o.)* Perfectio charitatis potest intelligi, vel ex parte diligibilis, vel ex parte diligentis. Ex parte diligibilis perfecta est charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est: Deus autem est infinite diligibilis, quia est infinite bonus. Unde ad hunc modum nulla creatura charitas potest esse perfecta; quia, cum quælibet virtus creata sit finita, nulla creatura potest Deum infinite diligere. Ex parte vero diligentis tunc est perfecta charitas, quando diligit tantum quantum potest; quod contingit tripliciter. Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum; & hæc est perfectio charitatis Patris, quæ non est possibilis in hac viâ, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo & rebus divinis, prætermittis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit: & ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in viâ, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo, sic quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo; ita scilicet quod nihil cogitet, vel velit, quod divine dilectioni sit contrarium: & hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

ARTICULUS II.

Utrum quolibet actu Charitatis, etiam remisso, augetur Charitas?

Suppono 1. Actus nostros non causare efficienter physice augmentum charitatis; quia eadem est ratio augmenti & productionis habitus; augmentum enim est veluti continuata rei productio; atque actus nostri præcedentes charitatem, quantumvis ex auxilio supernaturali elicit, non producant efficienter charitatem, ut diximus art. præced. ergo. Suppono 2. Actus nostros concurrere ad augmentum charitatis dispositive, non solum moralitè, seu meritorie, sed etiam physice; quia, ut jam dicam, eadem est ratio augmenti & productionis habitus, actus autem nostri sunt dispositiones physice ad productionem gratiæ & charitatis. Utramque suppositionem probavimus in Tract. de Gratia Diss. 6. a. 3. Vide. Suppono 3. hominem justum posse sibi mereri augmentum charitatis, ut probavimus ex professò in eodem Tract. Diss. 8. art. 5. §. 4. Et hæc omnia docet Auctor in 1. d. 17. q. 2. a. 3. o. ubi sic ait: „Non eodem modo se habet actus informatus ad augmentum charitatis, & actus præcedens charitatem ad habendam charitatem: Actus enim, qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis, & per modum dispositionis & per modum meriti; sed actus, præce-

dens charitatem ordinatur ad consequendam charitatem solum per modum dispositionis, & non per modum meriti, quia antè charitatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam charitatem, vel augendam per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendos habitus acquisitos.“

Dico. *(Hic art. 6. ad 1. & 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3.)* Quilibet actus charitatis, etiam remissus, sive elicitus, sive imperatus, meretur de condigno augmentum charitatis. Est contra Durandum. Prob. 1. Ex Concilio Trid. Sess. 6. Can. 32. Ubi sic definit: „Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque gloriæ augmentum; anathema sit;“ atque actus charitatis, etiam remissus, est bonum opus factum a justo per Dei gratiam & Christi meritum: ergo est meritorium augmenti gratiæ & gloriæ, consequenter charitatis, quæ est proprietas consequens ad gratiam; & cui correspondet & commensuratur gloria. Idem Concilium eadem Sess. cap. 10. docet, justum bonis operibus, quibus observat mandata, crescere in gratia; sed ad observationem mandatorum non requiritur actus charitati intensior habitu: ergo.

Prob. 2. Actus charitatis, etiam remissus, habet omnes condiciones requisitas ad meritum de condigno augmenti charitatis: ergo. Probat. Ant. Actus charitatis remissus est supernaturalis, ab homine grato & amico in obsequium Dei factus, & a Deo ordinatus ad præmium, siquidem actibus etiam minimis, ut calici aquæ dato in suo nomine promittat mercedem. Hæc autem sunt condiciones meriti de condigno, ut expeditur in Tract. de Gratia Diss. 8. art. 1. ergo. Prob. 3. ab absurdo. Ex opposita sententia sequeretur, quod actus remissior quandoque meretur augmentum charitatis, & non mereretur actus intensior. Pone enim, quod homo habens charitatem ut duo elicit actum charitatis ut tria, & alter habens charitatem ut decem elicit actum charitatis ut octo: primus mereretur augmentum charitatis, non alter. Hoc autem videtur absurdum, cum actus charitatis ut octo sit dignior præmio, quam actus charitatis ut tria: ergo.

Obj. 1. S. Th. in 1. d. 17. q. 2. a. 3. ad 2. dicit: „Quilibet actus charitatis, in quantum est informatus tali habitu, ordinatur ad præmium substantiale; non tamen ad augmentum præmi, sed nec ad augmentum charitatis.“ Nihil videtur expressius pro sententia Durandi. Quorundam Responsio est, S. Th. hanc sententiam retractasse in locis citatis pro Conclusionem, in quibus docet aperte contrarium. Sed non videtur necesse recurrere ad retractionem. Respondent ergo alii, S. Th. loqui de primo actu charitatis, qui est ultima dispositio ad primam infusionem gratiæ, qui, licet sit intensissimus, non ordinatur ad augmentum præmi, nec charitatis, sed solum ad præmium substantiale, cum sit primus, qui hominem præmio dignum reddat, nec supponat præmium, quod augeat. Hæc solutio facilis est, sed utrum sit ad mentem S. Thom. non ita consistat. Unde, illa in sua probabilitate relicta, veritas mentem S. Thom. attingere videntur, qui respondent ipsum nihil aliud velle, quam quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum statim conferendum, ut art. seq. explicabimus; tum quia ibid. in corp. dicit in terminis, quod actus, qui est ex Charitate, ordinatur ad augmentum charitatis & per modum dispositionis & per modum meriti: per modum dispositionis proxime, & ut statim conferatur, si sit intensus; per modum dispositionis remote, si sit remissus, ut explicat ibid. Tum quia in Resp. ad 2. quæ objicitur, non dicit simpliciter, quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum charitatis, sed quod non ordinetur ad augmentum charitatis, secundum quod charitas remanet primum principium merendi; sed solum secundum quod augmentum charitatis merendi; id est, non statim conferatur illud augmentum; quia charitas aucta physice est principium merendi etiam juxta gradum augmenti: meretur tamen augmentum charitatis secundum quod pertinet ad perfectionem præmi; præmium autem merito correspondet, & illud consequitur homo, quando ad illud fuerit sufficienter dispositus. Denique hæc esse mentem S. Thom., evidentiè constat ex his, quæ docet in 2. D. 17. q. 1. art. 5. ubi se refert ad præsentem locum, qui objicitur, & quem expendimus. Illi.